



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio X. De Cultu Deorum apud Veteres Prussos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Ann. 1531. in Parœcia Pobetenſi, ut jam ſupra innuimus, Ruſtici ſe-
nis convenientes ex pagis Waidelottam ſibi ex ſuo numero ele-
gerunt, qui ſuam patrio ritu Diis immolaret. *Vid.* Henneberger.
lib. de Vet. Pruff. fol. 15. b. De cætero infimi illi ſacrorum miniſtri non
videntur fuiſſe Sacerdotes, à Collegio Waidelottarum, aut à po-
pulo, electi; ſed prout eorum quiſque in artibus illis magicis
erat exercitatus, ita à miſera plebe ad varia infortunia averruncan-
da adhibebatur.


DISSERTATIO X.

De

Cultu Deorum apud Veteres Pruffos.

- (1.) *Cultam Deorum Pruffi à Gothiſ acceperrant. Ante Gothorum
ingreſſum an fuerit aliquis in Pruffia Deorum cultus. Nulla
antiquis temporibus Deorum ſimulacra. In igne Deus coleba-
tur. Preces ad Deos fuſæ. Oblationes ex herbis & fructibus:*
(2.) *Cultus tribus Diis communis. Nemo Chriſtianus ad ſacra
Prufforum ſpectanda admittebatur. Nec omnes Pruffi in con-
ſpectum Deorum admiſſi. Sacrarium Quercûs Romoveane ſo-
lis Sacerdotibus intrare fas erat. Oblati Diis homines. Vi-
ctima ex hoſtibus. Hoſtia conſultorie apud Romanos, Celtas,
Gothos. Dux hoſtiam ſolebat comburi. Modus comburendi.
Equi, maximè albi Diis ſacri. Equi immolabantur Diis. Præ-
da in bello capta quomodo diuiſa. Diis maioribus non niſi Ro-
mova ſacrificia offerebantur.* (3.) *Percuno perpetuus alebatur
ignis lignis quernis appoſitis. Tonitru putabatur eſſe vox Per-
cuni. Picollo mortuorum hominum & brutorum conſecraban-
tur capita, Sebun in olla crematum. Apparitiones Picolli.*
Quomodo

Quomodo placari potuerit. Potrimpo serpens olle impositus alebatur. Olla manipulis frumenti tecta. Suffitus ex thure & cera. Infantes Potrimpo oblati. (4.) Curcho singulis annis nova ponebatur statua. Igne perpetuo colebatur. Primitie frumenti & piscium ei offerri poterant quovis in loco. Perdoyti cultus serè idem, qui & Curchi in oblatione primitiarum. Reliquorum Deorum cultus, imprimis serpentum. Sylvarum, Lacuum & fontium cultus.

I.  Idimus Veterum Prussorum Deos, & Sacerdotes, nunc de ipso divino cultu per Sacerdotes institui solito nobis erit agendum. Et quidem quod ad originem cultus illius attinet, constat inter Scriptores nostros Waidev vutum Scandinavicum, sive Gothicum Principem fuisse apud Prussos cultus divini auctorem, Quamquam autem quidam in eâ sunt opinione, quod Waidev vutus fuerit Alanorum sive Lithvanorum Dux; concedunt tamen iidem, Waidev vutum, cum esset in Prussorum Regem electus, accersivisse Sacerdotes è Sudinia; (intelligunt per Sudinos Sambitas hodiernos, licet minùs rectè, cum Sudini iis temporibus non in Sambia, sed propè Galindos habitarent, ut Dissertat. I. probatum dedimus) quam Sudiniam (ut hodiè appellatur) sive Sambiam jam ante Waidev vuti tempora tenuisse Gothos illi ipsi Scriptores largiuntur. Et sanè si cultum trium illorum Numinum in urbe Romove respiciamus, magnam ejus fuisse cum cultu Deorum apud Gothos convenientiam animadvertemus, adeò ut prorsus dubitari nequeat, quin Gothi in Prussia quondam habitantes ejus fuerint auctores. Verùm & ante fuisse, aliquem saltem, Deorum in Prussia cultum, quam Gothi Prussiam intrarunt, perquam verisimile est. Cum verò ille apud plurimas gentes primis à diluvio temporibus, fuerit simplicissimus, nulla, quantum quidem suspicor, simulacra Diis illo tempore erant posita; sed Deus colebatur in igne, eoque perpetuo conservato. Non alio namque modò gentes Asiaticas plerasque, à quibus Europæi trahunt originem, Deum coluisse in confesso est. Additæ his dubio procul fuerunt preces, quibus Prussi desideria sua Dîs exponebant. Accesserunt fortasse & oblationes, sed
u 3
simpli-

simplices, & non nisi in herbis aliisque spontè nascentibus consistentes, ut ab ultima ferè antiquitate fuisse ab omnibus gentibus observatum, probat Porphyrius Philosophus *lib. 2. de Abstinencia §. 5. & seqq. Edit. Luca Holstenii.*

II. Cum Gothi Prussiam ingressi tres illos Deos, Percunum, Picollum & Potrimpum fabricassent, quædam sacra omnibus illis Diis communia, quædam singulis peculiaria esse voluerunt. Ad cultum Deorum generatim consideratum referimus illud, quod ad sacra Prussorum Christiani non fuerint admissi, ut ea spectare possent. Et si aliquando contigisset, ut Christianus, vel alius aliquis extraneus, sacra illa conspiceret, non nisi sanguine illud expiari poterat, etiamsi ille effugisset. *Vid. Caspar Schuz. lib. 1. Chron. Pruss. fol. 3. Testis ejus rei est & Helmoldus Sec. XII. Scriptor. Usque hodiè profectò, inquit, inter illos cum cetera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.* Hæc Helmoldus *lib. 1. Chron. Slav. c. 1.* Sed neq; Prussis omnibus liber semper dabatur ad Deos accessus. Qui enim facinus aliquod patrauerant, arcebantur ab illis locis, ubi Dii colebantur, ut auctor est Hennebergerus ex Grunovii *Tract. 3. cap. 3.* Similiter si quis ob maleficia patrata capite plectendus erat, procul à conspectu Deorum ex urbe Romovea educebatur. Henneberger. *de Vet. Pruss. fol. 8. b.* In sacrarium Quercus Romoveanæ nemini Prussorum intrare fas erat, præter ipsorum Pontificem Crive & primarios Flamines, sive ut Prussorum verba utar, Waidolottas. Circa hanc Quercum fuerunt, ut dicitur, peripetasmata seu vela serica octo (secundum alios septem) ulnarum, in altitudinem extensa, quæ non removebantur per Waidelottas, nisi in celebrioribus sacris, vel etiam, si aliquis Prussorum extra ordinem Deos adorandi, iisdemque offerendi gratia, accesserat. *Vid. Matthias Strykovski Ostostevicius in Sarmatia Europea.* Inter victimas Diis his offerri solitas legimus etiam homines fuisse. Quamvis verò omnibus illis Diis humanæ offerrentur victimæ, maximè tamen his Picollo & Potrimpo litatum fuisse, notat Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 11. b.* Videlicet, quando summus Pontifex vel alius quispiam se pro populo Diis Patriis devovebat, tum hoc in honorem omnium trium Deorum fieri consuevisse puto, quâ ratione Waidevvutus & Prutenus semet-

semetipfos Diis obtulisse feruntur: Quodsi ex hostibus capti Diis essent immolandi, probabile est, illos in honorem Picolli & Potrimpi tantum fuisse mactatos. Etenim Prussi veteres in bellum ituri hominem ex hostibus captum sequenti ritu mactare consueverant. Summus Pontifex, Crive dictus, hosti pectus primò transfodebat, tum si sanguis continuò torrentis instar prorumpebat, prosperè feliciterque Prussi sibi res eventuras arbitrabantur. Henneberg. *de Vet. Pruss.* pag. 20. ex *Grunovio*. Non procul hæc à veterum hostiis consultoriis abeunt, quibus divina voluntas per exta disquirebatur. Romanos jam prætereo. Apud Celtas olim id genus hostias in usu fuisse, auctor est Diodorus Siculus *lib. 5. Biblioth. c. 31.* Proprius verò ad Prussicum hunc ritum accedunt, quæ de Cimbris veteribus, qui cum Gothis dubio procul eadem habuere sacra, refert Strabo *lib. 7. Geogr. fol. 294.* *Sequentibus eos, inquit, in bellum uxoribus Vates quædam comitabantur cane albo vestitu, carbasinis supparis, de super fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis: eæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis prostratosq; ad craterem æneum adducebant, amphoras circiter. 20. capientem. Super eam pulpitem erat, quo conscenso vates sublimis singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat. E sanguine in craterem fuso suam captabant quandam divinationem: relique cadavera sic casorum scindebant, intestinisq; spectatis victoriam suis vaticinabantur.* Deindè solebant etiam Prussi Ducem hostium in bello captum, Diis suis immolare, quod contigit legimus Gerharo Rude Advocato sive Præfecto Sambienti, teste Petro de Dusburg. *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 333.* Sed verba ipsa Dusburgii dabimus, ut ritus hinc adhiberi solitos cognoscamus: *Fratrem etiam Gerhardum dictum Rude Advocatum Sambientem indutum armis & depositum super dextrarium (id est eqyum, quo antea in bello utebatur) cremantes Diis suis pro victoria obtulerunt.* Nicolaus Jeroschinus Interpretes Dusburgii, paulò dilucidius id ipsum proponit. Videlicet primò ipsum Prussi equo, cujus singuli pedes singulis palis erant alligati, imposuerunt, deindè lignis undiquaque congestis, adeò ut à circumstantibus conspici non posset amplius, more patrio combusserunt. Verba Jeroschini dedimus ad citatum caput Dusburgii. *Conf. Auctor Chronici Ordinis Teutonici fol. 110.* Quodsi plures erant captivi, forte designabantur Diis immolandi. Expressa sunt eà de re verba Dusburgii:

Post

Post hanc cædem, inquit, Nattangi volentes victimam Diis offerre, miserunt sortem inter Teutonicos ibi captos, ceditiq; duabus vicibus super quendam Nobilem & divitem dictum Hirshals, qui sic in angustia constitutus Henricum Monte (Prutenus is fuit) ut ad memoriam reduceret beneficia, que ipsi in civitate Megdeburg sepius exhibuit, & eum ab hac miseria liberaret. Quo audito Henricus (id nominis adeptus erat in Baptismo, sed postea pristinam religionem resumpsit) eidem compatiens ipsum duabus vicibus liberavit, sed dum tertio missa fors caderet iterum super eum, noluit redimi, sed sponte offerens se in bona confessione hostiam Deo, ligatus super equum suum, est crematus. Hæc Dusburg, Part. 3. Chronic. cap. 86. Eadem ratione Diis Prussicis immolati sunt, Heidenricus Eylinger, Wilhelmus de Coburg, & fortasse plures. Hauserunt hunc morem Prussi dubio procul à Gothis, apud quos idem obtinuisse, probat Schefferus in Upsalia antiqua cap. 10. pag. 137. & 149. sequ. Præterea solebant etiam Prussi Pagani Diis suis EQVOS ALBOS offerre, ut auctor est Hennebergerus de Vet. Pruss. fol. 8. a. b. Idcirco non licebat ulli Prussorum album equum ad usus domesticos alere, eodem Hennebergero teste. Exemplum ejus rei habet Petrus de Dusburg Part. 3. Chronic. cap. 6. dignum sanè, quod legatur. Restringit tamen hoc ipsum Dusburgius Part. 3. cap. 5. in fin. ubi hæc habentur: *Aliqui equos nigros, quidam albos, vel alterius coloris propter Deos suos non audebant aliquantulum equitare.* Ex quibus liquidò apparet, alios ab albis, à nigris alios, alios ab alterius coloris equis abstinuisse. Manubias in bello captas in quatuor partes fuisse divisas, quarum prima Diis, secunda summo Pontifici, tertia amicis & fœderatis, quarta ipsis Prussis, cederent, refert Hennebergerus. Sed Dusburgensis, cui, ut antiquiori fides est habenda: *Post victoriam, inquit, Diis suis victimam offerunt, & omnium eorum, que ratione victorie consecuti sunt, tertiam partem dicto Crive presentaverunt, qui combussit talia.* Tertiam proinde partem Prussi Diis immolabant, reliquas sibi reservantes. Addit posthæc Dusburgensis ritum in comburendis equis in bello captis observari solitum: *Nunc autem, inquit, Lethovini & alii illarum partium infideles dictam victimam in aliquo loco sacro secundum eorum ritum comburunt, sed antequam equi comburantur, cursu fatigantur in tantum, quod vix possunt stare supra pedes suos.*

Sic

Sic ergò audivimus, homines Diis Prussicis fuisse partim mactatos, partim combustos. Cruore immolatorum Quercus illa in urbe Romove adedò fuit conspersa, ut horrorem aspicientibus incuteret. Terrorem augebant ipsi Dii, qui sapiùs illò in loco tonitrua, pluvias variasque tempestates excitabant. Apparebant insuper hominibus sub specie serpentum, Draconum, ignis, aliarumque terrorem incutientium rerum. Schüz. *in Chron. Pruss. lib. 1. fol. 4. a.* In aliis item sylvis ejusmodi spectra spectantium se oculis ingerebant. Joannes Lassicus *in lib. de Diis Samogit. pag. 299.* Hoc verò & Gothis fuit in usu, ut arbores Diis dicatas cruore seu tabo immolatorum conspergerent, ut discimus ex Adami Bremensis *lib. de Situ Dan. cap. 94. (234.)* Uterque autem populus, videlicet & Gothi & Prussi, à Scythis hoc ipsum acceperunt, de quibus Lucanus *libr. 3. vers. 105.* dicit:

Omnis & humanis lustrata cruoribus arbor.

Super hæc ad cultum trium illorum Deorum generatim spectatum & hoc addendum est. Si quid populo Deorum nomine denunciandum erat, Waidelottæ Crive suum humeris sublatum supra struem lignorum collocabant. Eo in loco per aliquod tempus cum Diis collocutus, eorum jussu Waidelottis exponebat, ut hi vicissim populo circumstanti illa renunciarent. Simon Grunovius *Tract. 3. cap. 1.* & ex eo Hennebergerus *de Vet. Pruss. pag. 13. b.* Ad extremum, non licuit Prussis tribus hisce Diis extra urbem Romove sacrificia offerre, ut auctor est Henneberg. ex Grunovii *Tract. 3. cap. 3.*

III. Quod ad specialem singulorum Deorum cultum attinet, primò consideraturi sumus ordinaria Deorum insignia, & sub hæc alium cultum ipsis delatum. PERCUNO perpetuus alebatur, ignis, quernis lignis subindè appositis, ne unquam extingveretur. Si contigisset Sacerdotum negligentia ignem extingvi, Waidelotta, cujus eo tempore officium erat ignis curam gerere, capitali supplicio afficiebatur, testibus Strykovio, Hennebergero & Waisselio. Erat hoc ipsum apud Lithvanos etiam in usu, qui itidem in Kierni Principis quondam sui honorem in edito colle ad Dzievvalto viam, inter alia sacra perpetuum ignem quercu alebant, per certos, & ad hoc tantum negotium electos Sacerdotes, *Vid. Alb. Wijuk Kojalowicz.*

Part. 1. Hist. Lithuan. lib. 2. pag. 45. Apud Gothos, quantum colligere licet, ignis perpetuus non alebatur in honorem unius alicujus Dei, sed Deorum omnium simul. Schæffer. in *Upsal. cap. 10. pag. 133. seqv.* Cælo tonante putabant Prussi Crive sive Pontificem suum cum Deo Percuno loqui, quamobrem in terram provoluti, Percunum his verbis venerabantur: *Deus Percunos absolomus.* Hinc precabantur pluvias & serenam tempestatem ut sibi justo tempore largiretur. Henneberger. *de Vet. Pruss. pag. 11. a.* Johannes Lassicus Polonus aliam adhuc formulam precatationis in medium adducit, quam Lithvanis, qui Prussis contermini, usitatam fuisse refert. Cælo namque tonante rusticus detecto capite succidiam humeris per fundum suum portans, hisce Percunum alloquebatur verbis: *Percune Dowaité, nie muski und mana, diewu melsu tawi palti mießu.* id est: Cohibe te Percune, neve in meum agrum calamitatem immitte: ego verò tibi hanc succidiam dabo. Verum nimbo remittente, carnem domum referebat, & cum suis absumebat. *Vid. Lassic. in libello de Diis Samogitarum pag. 300.* PICOLLO secundo Prussorum Deo consecratum erat mortui hominis caput, ut habet Matthias Strykovijs in *Sarmatia Europæa*, Hennebergerus dicit, potuisse etiam Picollo servari caput mortuæ pecudis. Huc fortasse referenda est Gothorum consuetudo, qui in honorem Othini sui, quem nos Veterum Prussorum Picollum fuisse supra probatum dedimus, ex craniis occisorum à se hominum potare solebant, ut ex variis Scriptoribus id probat Johannes Schæfferus in *Upsalia cap. 10. pag. 152.* Diebus festis, maximè majoribus, Picollo sebum cremabatur in olla. In ædibus *supanorum*, id est Nobilium & Magnatum homine mortuo apparebat Picollus: qui, nisi sacrificiis placaretur, mirè homines miseros divexabat. Si neque hoc curabant, tertiumque Deus reverteretur, non nisi sanguine crimen expiari poterat. Tum verò Waidelottam exorare solebant, qui vulnus in brachio secepitã sibi insignens, Numen sanguine suo placaret. Signum placati Dei erat sonus in Sacratio editus. Henneberger. *de Vet. Pruss. fol. 10.* Waisselius in *Chron. Pruss.* POTRIMPO serpens in cultum perpetuum ollæ impositus conservabatur, & lacte, ut commodius viveret, alebatur. Olla ipsa manipulis frumenti semper

per tecta erat. Hennebergerus *ad Tabulam Prussicam pag. 465.* Si Potrimpo cultus divinus exhibendus erat, Waidelotta tribus diebus antè jejunans, non nisi in nuda terra prostratus jacebat, ut dignè se præpararet ad sacrificium offerendum. Henneberg, *de Vet. Pruss. fol. II. b.* Suffitus Potrimpo fiebat ex thure & cerâ. Infantes etiam in honorem ejus immolabantur. Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 465. fin.*

IV. Inter Deos minores primo loco collocavimus CURCHUM cibi potûsque Deum, qui propè oppidum Ducalis Prussiæ Heiligenbeil dictum colebatur. Huic singulis annis novum ponebatur simulacrum contracto priore, ut palam sit ex Privilegio à Jacobo Legato Pontificis Romani Ann. 1249. Prussis concessio, cujus verba jam supra dedimus. Deindè Curcho perpetuus etiam servabatur ignis. Suspiciari itaque licet, cum Quercus Romove à Polonis esset combusta, urbsque ipsa Romoveana funditus deleta, Curcho maximum fuisse delatum honorem, ut & antea indicavimus. Inter sacrificia Curcho oblata fuerunt frugum & piscium primitiæ. Illas offerebant collectis jam frugibus, uti ex modo citato Privilegio liquido constat. Quamvis verò Curchus juxta oppidum dictum præcipuè fuerit cultus, aliis tamen etiam in locis eidem sacrificia offerebantur (secus atque majoribus illis Diis fieri solebat, ut supra in fin. num. II. diximus) ubicunq; ad lacum ingens lapis reperiatur. Ejusmodi lapidem inter Frauenburgum & Tolkemitam ad lacum recentem adhuc suo tempore extitisse testatur Hennebergerus, qui etiam notat, lapidem illum vulgò sacrum lapidem fuisse vocatum. In ejus generis lapidibus solebant Piscatores piscium primitias in honorem dicti Dei comburere. Non absimilis fuerat in piscibus offerendis & PERDOITI Dei Nautarum Piscatorumque cultus, ut eum Waiselius delineat. Nisi dicere malis, Hennebergerum oblationem piscium, quæ Perdoyto fieri solebat, Curcho perperam adscripsisse. Verisimile namque est, Curcho non nisi in quercu Heiligenbeilensi, ut non infimo Deorum, cultum divinum fuisse exhibitum; quæ autem extra hanc fiebant urbem aliis esse Diis tribuenda. Sed quid de Perdoyto senserint Prussi videamus. Credebant videlicet ingentis magnitudinis

tudinis Angelum sive Deum in mari consistere, & quo se ille verteret, eo quoque ventos converti. Quodsi Deus ille ad iram concitaretur, credebant miseri homines ipsum flatu suo pisces abigere imò enecare. Fuit hæc dubio procul aliarum quoque gentium opinio, cum neque ex recentioribus desint, qui Angelos ventorum Æolos esse statuunt, inducti nonnullis S.S. Literarum malè intellectis testimoniis, ut Psalm. XVII. Apoc. VII. &c. *Vid. Libertus Fromondus libr. 4. Meteorologicorum cap. 1. artic. 3. pag. 178. seqv.* Sed ad rem. Cum igitur huic Deo sacrificium, Prussici Piscatores, exituri piscatum, offerre volebant, in horreum aliquod convenientes magnam piscium vim coctam in tabulis exponebant. Sub hæc ad pateras suas sive ad pocula dilapsi strenuè potabant, idolothytorumque reliquias comedebant. Ad extremum Sigonota confurgens ventos dividebat, indicabatque, quo die, quo loco sperari posset dives piscium captura. *Vid. Waissel. in Chron. fol. 20. b.* De Cultu VURSKAITI & ISCHWAMBRA TI nihil certi constat, cum Scriptores nostri nihil de eo habeant, quod haut levi argumento esse posset Grunovium hæc numina confinxisse. Sed jam supra concedendum hic aliquid esse Grunovio diximus, proindè denuò hæc negare nolumus. PUSCÆTUM sacrorum Præsidem lucorum, qui sub Sambuco in terra habitare credebatur, non solum Prussi, sed etiam Samogitæ, Lithvani, Rutheni & Livones singulari colere, veneratione, ut auctor est Meletius in *Epistola ad Georgium Sabinum*. Litabant ei pane, cerevisiâ aliisque cibis sub Sambuco positis. In precibus suis eum precabantur, ut placatum sibi redderet Marcopolum Deum Supanorum, id est, Nobilium, ne graviore servitute à Dominis premerentur, item ut mitteret Barstuccas, qui in horrea ipsorum frumenta congererent congestumque fervarent. BARSTUCCIS sive MARCOPETIS vesperi collocabant in horreo super mensam mappâ instratam, panem, caseum, butyrum & cerevisiam, invitantes eos ad epulum. Nec dubitabant de futuro fortunarum suarum augmento, si mane reperissent cibos illos absumptos; Quem verò cibum maximè reperiebant consumptum, eum in sequentibus consecrationibus cumulatiùs apponebant. Quodsi Dii illi cibum in mensa relique-

rant

rant intactum, magna solitudine angebantur, omnia improspere sibi eventura credentes Melet. *loc. cit.* Waiffel. *fol. 20. 6.* Idololatricum hunc ritum adhuc superiore seculo fuisse superstitem, maximè in Sambia, & quod ego miror, propè Conitiam in Pomerellia, tradit Martinus Murinius *in Chron. Prussia cap. 5. pag. 7.* Quando Barstuccæ, sive etiam alii spiritus, qui dicebantur Coltky, alicubi habitare volebant, quâ ratione prorum in Patrem familias animum declararint, verbis Meletii edisserere placet: *In domo, ait ille, congerunt noctu segmenta lignorum & multris lacte plenis imponunt varia animalium stercora. Quod ubi paterfamilias animadvertit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora e multris egerit, sed de inquinato lacte cum familia sua comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.* Præterea SERPENTUM illorum, qui sub fornace vel in angulo vaporarii fovebantur, cultus sic sese habebat: Certo anni tempore Waidelotta pretiunculis quibusdam idololatricis evocabat Serpentes ad mensam. Illi exeuntes ex latebris suis per candidum linteolum mensam, conscendebant. Hic varia ipsis à Patrefamilias sunt apposita fercula, quorum singulis delibatis, eodem modò per dictum linteolum descendentes se tandem cavernis suis illatebrabant. A discessu serpentum Paterfamilias cum tota familia lætus ferculis prælibatis vescebatur, certo persuasus, illo anno cuncta sibi prospere eventura. Quodsi ad idololatricas Waidelottæ precatiunculas serpentes non prodibant, aut prodeuntes fercula sibi apposita non degustabant, magnam sibi homines illi agrisque suis calamitatem imminere credebant. Joannes Meletius *loco citato.* Illos autem SERPENTES, quos in cavis quercibus lacte nutritos jam antea diximus, sequenti solebant modò colere mulieres. Conveniebant statò tempore illos adoraturæ, precabanturque, ut vires maritis suis suscipiendæ proli idoneas largirentur. Henneberg. *de Vet. Pruss. pag. 12. a.* Ad cultum LACUUM, quos Diis fuisse sacros à nobis dictum est, illud pertinet, quod in iis non licuerit piscari. Henneberg. *de Vet. Pruss. fol. 8. b. fin.* Idem de SYLVIS sive LUCIS Diis consecratis dicendum. Videlicet, non licebat in iis arborem excindere. Aves item feræque in sylvis illis inviolabiles censebantur, teste Matth. à Michovia *lib. 4.*

Chron. Polon. cap. 45. Verba ejus dedimus *Dissertat. IIX. num. 7.* Commune hoc habuerunt Prussi cum antiquis Romanis, de quibus Ovidius *lib. 3. Amor. Eleg. 1*

*Stat vetus & multos in cadua Sylva per annos
Credibile est illi Numen in esse loco.*

Idem apud Gallos quondam fuisse observatum, auctor est Sulpitius Severus in *Vita S. Martini.* Prussi verò & Lithvani hoc ipsum accepisse videntur à Gothis. Nam & in Sveonia illud ipsum observatum esse & adhuc à quibusdam observari, probat Joannes Loccenius *lib. 1. Antiqu. Sveo-Goth. cap. 3.* ubi quoque memorabile nobis ea de re exemplum exhibet: *Diabolus*, inquit, adhuc quosdam in hac re non intentatos relinquit: ut aliquid religionis ei rei inesse simplici vulgò persuadeat. Ante septennium enim in Sudermannia Parœcia Osterhanningensi propè prædium Wendelsfö, quum famulus dictum prædium possidentis, juniperum in plano, amano & rotundo loco, diversis arboribus cincto exstantem, pulcrosq; ramos latè diffundentem ad usus domesticos cadere conatus esset, vox audita est: *Noli cadere juniperum.* Ille comministrum ita joco clamare ratus, circumspectans, neminem tamen vidit. Mox redit ad succidendam eandem juniperum. Sublatà securi minatus ictum, iterum audit priorem vocem. *Edico tibi ne cadas juniperum.* His verbis territus ab eà cadenda supersedit, & alia juniperi virgulta circumstantia sine interpellatione cecidit. Hoc Pastor loci Dominus Andreas Arvidi scripsit ad Collegium Antiquitatum. Hæc Loccenius *loc. cit. pag. 15. seqv. Edit. Anni 1676.* De cultu ALCIS item BUFONUM aliarumque rerum creatarum nihil certi constat. De cætero quomodo OCCOPIRNUM, PERGUBRIUS, SCHWAIXTIXTUS, alique Dii, quos Dissertatione VI. num. V. recensuimus, fuerint culti, ex Dissertatione proximè sequenti cognoscere licebit.

V. Progredieremur jam ad festos Prussorum dies, nisi quedam adhuc essent addenda, de cultu Deorum in furtis detegendis adhibito. Videlicet cum alicui furto res aliqua erat ablata, arcessere continuò solebat Sigonottam sive Sortilegum (qui plerumque pauper, cæcus vel claudus erat. Interrogatus autem cur
adeò

adeò pauper esset, respondebat, Deorum hanc esse voluntatem) Hic primum invocabat Deum cœli Occopirnum, & Deum terræ Fuschkaitum, precabaturque ipsos ne furem aufugere paterentur. Tum acceptis duabus patinis, imponebat ille, cui aliquid furto ablatum erat, patinæ uni duos nummos, alteram pro se, alterum pro fure, fundebatque desuper cerevisiam. Posthæc Sigonotta cretâ quidpiam depingens in patinâ, illam concutiebat. In quâ tunc patinæ parte nummus furis reperiebatur, in eam mundi plagam contulisse se fur existimabatur. His finitis in alteram patinam in terra collocatam Sigonotta cerevisiam intundebat, & in cœlum suspiciens hæc pronunciabat verba: *Benigne Deus cœli & terre & stellarum per tuam potentiam jube tuos servos ne honor tuus tibi, eripiat ne fur qui hanc rem (nominabat eam) abstulit, quiescat, donec reversus, rem quam furto abstulit, reddiderit.* Tum attollebat patinam inquisiturus, utrum bulla aliqua in cerevisia reperiretur. Si hanc conspiciebat, persuadebat sibi, se voti sui compotem esse factum. Nullâ verò bullâ repertâ, cerevisiam, exhauriebat infundebatque recentem, idque eousque iterabat, donec aliquod signum precum non frustra fusarum animadverteret. Hæc Waisselius. Chronicon Dietmari addit insuper, Sigonottam conspecto dicto signo, cæremonias suas illis verbis finisse: *In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Et hoc suo adhuc tempore fuisse frequentatum cum à Germanis Prussiam inhabitantibus, tam præcipuè à Prussis veteribus, idque non solum, in Sudinia, sed etiam aliis in locis, testatur Waisselius *in Chronic. Pruss. fol. 22.* Simile quid antiquitus apud Romanos in usu fuisse deprehendo, apud quos furtum per lancem & licium perquiri & concipi solebat, de quo ritu optimè Petrus Pithæus

lib. 1. Adversariorum cap. 2.



Dis-